

que diuinare quodnam illud sit quadratum, quosue angulos intelligat eo loco: *Dauus*, fateor, sum, non *OEdipus*. Raimundi partes erant disertè accommodare omnia ad picturam *Cassiopeæ*, singuláque diligenter explicare. Verùm sicut in alijs passim omnibus, ita híc quoque Raimundus deceptorem agit, & principium petere videtur. Sed esto quòd hæc, quæ vult Raimundus, probari possint ex textu *Higinij*: quod nos haud quaquam concedimus: nunquam tamen adduci poterimus, ut *Higinij* stellarum designationes anteponamus *Ptolemæi* ac modernorum descriptionibus. Est, fateor, antiquus scriptor *Higinius*: sed antiquitas non debet præiudicare veritati.

Postremò, concludit suam sententiã tali syllogismo hypothetico. Si noua stella eandem habet longitudinem, latitudinem, declinationem, & distantiam à reliquis, quam habet vetus illa, & numero undecima: erunt duo corpora in eodem loco: sed non dantur duo corpora in eodem loco. Ergo noua stella non est, sed vetus.

Non mirum est Raimundum malum esse Logicum, cum deprehendamus eum ineptum Astronomum. Non enim sicut in assumptione consequens plenè tollitur, ita etiam antecedens: sic igitur conclusio inferenda fuit, Ergo noua stella non habet eandem longitudinem, latitudinem, declinationem, & distantiam cum veteri illa undecima: atque ita eius argumentum pro nostra stabit sententiã, ac Raimundus proprio telo confodietur. Possumus etiam ex eodem suo fundamento tale in ipsum contorquere argumentum, eoque ita prosternere, ut resurgere non valeat.

Raimundus malus Logicus, & ineptus Astronomus.

D